Pax Christi. Cornelio Adriani Timanni f.

Felix es Corneli dilecte, qui tam prudentem habeas patrem, qui tam bene consulit studiis tuis, qui tibi perpetuus hortator est ad diligentiam discendi, et ad timorem Dei. ·148·

Si talem monitorem domi habuisset Arminius pater, non desedisset Hamburgi otiosus tam ~~diu~~ multos menses, nullam habens rationem pretiosissimi temporis, nihilque curans sua studia, quae tam feliciter incepta erant a nobis summa, qua fide et diligentia. Non cogitant plerique parentes quantum ornamentum ipsis allaturi sint filii pie et fideliter instituti. Neque ipsi adolescentes intelligunt quam utile instrumentum vitae sit vel mediocris eruditio, quam pretiosum Dei donum sit tempus iuventutis quod idoneum est ad litteras discendas et ad capessendam veram pietatem. Denique quam alata sit aetas, quam fugax iuventa, quae ubi avolavit semel redit nunquam. Sed quia haec stultitia agnata est cordi adolescentis: Deus constituit pueris patrem et matrem quorum consilio regatur, qui admonendo, obiurgando, castigandoque illam iuvenilem stultitiam abstergant, qui sua prudentia pueros rerum imperitos in officio contineant, eosque et ad discendas honestas artes, et ad portandum Iesu Christi iugum compellant. Hoc qui non faciunt parentes, fatentur se nescire liberis imperare, et vel hanc suam negligentiam corrigant, aut certo sciant se Deo qui liberos ipsis dedit, gravissimas olim poenas daturos esse. Qui autem pueri cordatos habent parentes, qualem Cornelii tuum esse patrem: illi summo studio in hoc incumbere debent, ut quam optimi et quam doctissimi evadant. Sic enim fiet, ut et Deo Creatori suo gratum se praebeant, et parentes condigna observantia et gratitudine prosequantur. O beatam domum illam in qua sic vivitur. Beatus est parens talibus filiis et filii beati tali ~~patre~~ parente. Contra vero maledictio et ira Dei super familias in quibus negligentia aut indulgentia parentum liberi sic corrumpuntur, ut neque Deum curent, neque patrem matremque revereantur. Quinto idus Julii redditae mihi sunt tui patris litterae, ex quibus intellexi eum constituisse filium suum Cornelium nobis committere instituendum, si modo Deus vitae nostrae securitatem diuturniorem nobis indulgeat, et virgam irae suae qua multis modis commeriti sumus, reprimat, pestemque avertat, quae multo iam tempore a nobis [illegible] ut schola quae ante paucos menses erat florentissima, nunc autem prorsus dispersa est, et nostrum beneficio [illegible] colligatur. Cum vero [illegible] aliqua nobis spes affulserit, faciemus tuum patrem certiorem. Tu interea fundamenta grammaticae diligenter [illegible], denique te [illegible] Deum orans pro familia patris tui et nostra. Vaeltemannus fidelis puerorum nostrorum custos discipulos aliquot [illegible] familia collegit Stadae apud Senatorem D. Joh. Casper Nicolai [illegible] patrem. Illic docet eos magno studio grammaticam latinam cum Cicerone et [illegible] si videbitur vestris parentibus, tu et Stephanus [illegible] pestis, poteritis Stadae commorari apud civem aliquem honestum. Ibi cum [illegible] familiaribus Vaeltemannus noster vos erudiet, donec nobis Deus [illegible] concedere [illegible]. Haec fac ut tuus parens ex me significet Stephani patri, si velit, ut hac commoditate utatur. Vale dilecte Corneli et parentes tuos cum Stephani parentibus meo nomine diligenter saluta.

Bremae in schola deserta 4. idus Julii a. 77. Pietatis tuae hortator

Johannes Molanus

Nr. 293) [= Mer. a. 12 = Nr. 284]